(21

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

VENIS VARICOSIS CRURIS, &c.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS LUBBOCK,

Anglus;

SOCIET. REG. MED. EDIN.

SOC. ORDIN.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXVI.

EDVARDO MONTAGUE,

CHIRURGO,

HANCCE DISSERTATIONEM,

INDIGNAM SANE,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

VENIS VARICOSIS CRURIS, &c.

AUCTORE EDVARDO LUBBOCK.

Varix est venae tumor mollis, purpureus, plerumque doloris expers, precipuè eas partes afficiens, in quibus valvulae abundant. Vena figuram nodosam et moniliformem habet, atque iter flexuosum sequitur et in initio, facilè infra cutem movetur, tunc temporis omnino sanam. Ingravescenti morbo, tunicae vasis crassiores fiunt, et valvulae officio non funguntur. Crus affectum saepe oedemate laborat. Rebus sic se habentibus, siquando inflammatio superveniat, mali tota facies statim mutatur; vena telae cellulosae subcutaneae firmo nexu adhaeret, cuticulae squa-

mae decidunt, cutis cum sicca eschara, infra quam serositas effunditur, tegitur; eschara decidente superficies exulcerata videtur et haemorrhagia venosa nonnunquam occurrit: rubor partibus circumpositis est: in hoc aeque ac in primo statu circulatio sanguinis in vase, velocitate cursus magnoperè imminuta, perstat. Alius etiam est inflammationis finis, in quo varix dolore et duritie afficitur, nec amplius vas, pressione applicatâ, vacuum redditur, et ejus totum lumen lympha et sanguinis coagulum implent; crassamentum rapide absorbetur, parietes venae se contrahunt et ejus cavea obliteratur et nihil nisi nodulus ligamentosus piso similis superest: hoc modo circulatio per vasa varicosa perditur, et morbus viribus naturae medicatricibus sanatur.

Varix ferè oritur in vasis membri extremis, exempli gratiâ morbus venae saphaenae in crure quam in femore frequentius nascitur; rami autem suprà pedis dorsum non huic morbo valdè obnoxii sunt; pressura calcei apud Portal hujus discriminis causa est. Hic morbus in inferioribus quam in artubus superi-

oribus multo frequentior. Ratio in aprico est. In his cursus sanguinis non tantum, quantum in illis, gravitate opponitur. Venae etiam externae fere solùm varice afficiuntur, internae rarius. Sunt apud Boyer duae hujus discriminis causae; altera est pulsus arteriarum, qui circuitum sanguinis magnopere in venis profundis adjuvat; altera est contractio musculorum, quae eorundem vasorum, parietes sustinet. Quod ad magnitudinem varicum pertinet, nihil pro certo habemus; Hallerus docuit se venam spermaticam omnem venae cavae sanguinem revexisse et pollici aequale lumen attigisse, centuplo et millecuplo se ipsa auctiorem vidisse. Tumores varicosi longè majorem molem attinent; homo consilium a Fabricio Hildadano petiit, ad posteriorem partem cujus tibiae varix extitit, quae in crassitie brachium ad carpum adaequavit.

DE CAUSIS MORBI.

1mo, QUODCUNQUE cursum sanguinis per venam prohibet, inter causas varicis recenseri potest. Aliquando mulieres gravidae vasis inferiorum extremitatum varicosis opprimuntur; in graviditate enim pondus uteri, principio venae iliacae internae, et postea externae incumbit; sic etiam alvus astricta causa haemorrhoidum vulgo putatur: in his suprà dictis pressuram malum producere facile probatur; namque alvo leniter et assiduè exercitatâ, et foetu ab utero expulso, signa utriusque vitii evanescunt, nisi, totâ vi elastica tunicarum perdita, vasa non possunt se contrahere; inde dilatatio semper manet.

2do, Exempla hujus mali a cursu sanguinis per venam nimium adaucto ab auctoribus tradita sunt; nempe post ligaturam venae saphaenae internae, propter varicem, idem vitium in ramis anastomoticis venae saphaenae externae ortum est, quod vas major quantitas sanguinis, quam in rebus solitis, transiit. BAILLIE se varicem venae azygae, vena cava inferiore obliterata, vidisse dicit. In varice aneurysmati-

co, nomen per se venarum conditionem indicat.

3tio, Saltus et omnis species immodicae exercitationis, hunc morbum gignere possunt; in tali re causam ex valvulis ruptis pendere verisimile videtur.

4to, Dictum est a medicis de hominibus calculis vesicae oppressis, in quibus venae hujus visceris varicosae factae sunt; cujus vitii CHOPART notabile narravit exemplum: anne in hoc morbo varix ab aucta mole sanguinis ab irritatis arteriolis in venas irruente pendet; in hoc exemplo compressio saltem abest.

5to, Congenita vasorum debilitas aliquando causa hujus mali haberi potest. Alibert hominem vidit in quo venae pene omnes corporis totius varicosae evaserunt. Aliud exemplum visum est, in Nosocomio Lugduni Gallici, puellae cujus brachii venae, ex partu, varices exhibuerunt.

6to, Morbus interdum haereditarius est. Nuper me certiorem feci de familia, cujus pater et duo filii varicibus vexantur; et quòd maximè interest, filii non eadem officia exercent; hic olitor, ille sartor est.

Omnes hae causae, vasa cum majori quantitate sanguinis, quam apud naturae morem, replent. Modum, quo haec repletio morbum inducat, explicare oportet. Vasa a majore sanguinis, in caveâ, volumine dilatantur, et si dilatatio perstat, et augetur, valvulae nec diutius totum venae lumen claudere possunt; nec diu sanguinis columna, valvulis interpositis, dividitur et, parietibus venae a longiori columnâ debilibus factis, vas cedit, torquetur et varicosum evadit. Sententia suprà dictâ, ni fallar, de origine morbi nimium mechanica est: non possum non putare infirmam tunicarum conditionem pressionem aut aliud impedimentum sanguinis circuitus ad producendum malum idoneum reddere. Plures medici organicas vasis mutationes potius sequi quam malum antecedere et a dilatatione venae pendere putant; hoc autem certum est distentionem vasorum, legibus fluidorum pressionis non respondere. BECLARD partem circuli vasis varicosam fieri se vidisse dicit, pressura fluidi in tubo ad utrumque latus aequalis est. Morbus longè frequentior in cru-

re quam in pede est; in hoc autem vas altiori sanguinis columnâ opprimitur. Non dubitandum est, quin vasis parietes, structura mutatâ, debiliores facti fuerint; nam quamquam crassities tunicarum multum augetur, densitas imminuitur. Venae sanae apud Hales pressuram columnae aquae 175 pedum sustinent et apud Wintringham a pondere 175 librarum non rumpuntur; res non ita se habere in hoc morbo, haemorrhagiae frequentes a truncis, nullo ulcere parietum tubi existente, procul dubio testantur.

DIAGNOSIS.

Cum tumor varicosus superiorem partem venae saphaenae, ubi venam femoris ingreditur, aut venam femoris ipsam, in eodem loco invadit, morbus cum hernia crurali confundatur. Natura mali, apud hanc rationem, invenitur, vena infrà tumorem digitis firme compressâ, si hernia est, nulla mutatio magnitudinis tumoris fit; si contra varix sit, moles multum imminuitur. In omnibus aliis rebus, diagnosis satis facilis est.

PROGNOSIS.

Quod ad vitam pertinet, prognosis plerumque felix est: eo, tamen, plus periculi adest, quo majus sit vas varicosum, multo magis si vena in aliquâ corporis cavitate morbi sedes sit rebus sic stantibus, non tantum non possumus vas comprimere, si haemorrhagia superveniat; nequit etiam morbum detegere, donec dissectio mortis causam ostenderit; felix est exempla hujus generis rara esse; pauca tantum ab auctoribus traduntur. Morgagni de muliere loquitur, quae diu phthisis symptomatis obnoxia, subito mortua est; cadavere secto, dextra thoracis cavea sanguinis coagulum ponderis quatuor librarum continuit, a vena azyga effusum, quae multum dilatata, et foramine ellipticae figurae perforata est. Exemplum huic omnino simile oculis Portal obvenit; qui etiam duo alia narrat, quorum inter unum et suprà dictum vix ullum discrimen fuit; orificium autem non in azyga, sed in venâ inferiore intercostali situm est; pleura, quae vas texit condensata et exulcerata fuit: in altero inventum est dextram ve-

nam subclavianam in thoracem ruptam esse. Non autem putandum est, lethalem haemorrhagiam a venis corporis externis nunquam occurrere: Cline quaedam in suis praelectionibus dicere solitus est de foemina, in quâ tumor pulsans in cervice fuit; qui e repentino ruptus est, et tantum sanguinis effluxit, quantum vitam perdidit; corpore secto, vena interna jugularis in formâ sacci extensa visa est. Lombard lethalem haemorrhagiam e cruris varicibus vidit; talis exitus morbi in membris rarissimus est, quia fluxus sanguinis in his partibus tam facile compescitur. Ulcera, quae hoc vitium saepe comitantur, raro vitam in discrimen adducunt; tardè arti chirurgicae cedunt et frequentissimè recurrunt.

Quod ad mali sanationem pertinet, mala spes aegroto imminet, et, apud plures auctores, ad malum levandum potiusquam ad extirpandum, animum adhibere convenit.

DE METHODO MEDENDI.

Vena omnis apud Celsum aut adusta tabescit aut manu exciditur. Methodum jam inusitatum hujus chirurgi narrare licet. In di-

versis rebus duos medendi modos adhibuit; si vena magnopere contorta fuerit, excisionem; si contra rectum cursum secuta fuerit, ustionem usurpavit; cute incisâ et venâ expositâ ferrum arctum, obtusum incandescens vasi imposuit, vulneris labiis intactis, tota vena, spatio quatuor digitorum inter singulas ustiones interposito, ita tractata est. Ambroise Pare alium modum, per causticum medicamentum potentiale, varicem extirpandi proposuit. Apud hunc auctorem, venâ corrosâ et divisâ, fines divisionis disjunguntur, spatio medio relicto, quod carne et postea durâ et densa cicatrice repletur, quae ostium venae occludet, fluxum sanguinis prohibebit, et ita varicem sanabit. Haec methodus, paucis jam annis praeteritis, a Brodie adhibita est; nunc autem propter dolorem, qui illam comitatur, et propter tardam vulneris sanationem, a chirurgis omnino renunciata est. Methodus varices excidendi in verbis Celsi ita narratur "Cute eâdem ratione supra venam incisa, hamulo orae excipiuntur, scalpelloque undique "a corpore vena diducitur, caveturque ne "inter haec ipsa laedatur, eique retusus ha-

"mulus subjicitur; interpositoque eodem "fere spatio quod suprà positum est in eâdem "vena idem fit, quae quo tendat facilè hamulo "priore extento cognoscitur." PAULUS ÆGINÆ aliquod modi CELSIANI mutavit; femore legaturâ constricto, aegrotum ambulare jussit, et ita brevi tempore varices sanguine repleti fuerunt, quorum cursum accuratius atramento notavit; inde aegro supra cubile extenso, et crure infra venas dilatatas ligato, vas carne inciso exposuit, et a partibus circumpositis disjunxit; totam longitudinem vasis expositi et hamulo constricti divisit, membro vinculis suprà dictis soluto, tantum sanguinis effluxit, quantum chirurgo placuit, qui venam infra et supra varices ligavit, et labia vulneris statim conjunxit. Cum pars venae dilatatae in formâ tumoris circumscripti magnopere torquetur et sanguis stagnans dolorem et inflammationem creat, J. L. PETIT extirpationem laudat; consilia hujus chirurgi, de hac re, minime bona videntur; namque HODGSON tria exempla narravit, ubi haec symptomata, quae apud PETIT cultelli usum indicant, sanationi a naturâ effectae antecesserunt.

Dionis venas varicosas scalpello vulneravit, et, sanguine expulso, fasciâ vasa compressit. Eandem medendi rationem J. L. Petit imitatus est; quinetiam ad extrahendum coagulum, quod saepe varicem replet, animum adhibuit, aut primâ puncturâ ampliore factâ, aut venâ in pluribus partibus incisâ; aut per majorem longitudinem divisâ. Fluxum sanguinis a varicibus semper prodesse, inflammationem temperare et ulcus facilius sanatu reddere dicit. Diaetâ, quiete, et detractione sanguinis a varicibus, praescriptis, ulcera, quae aegrotos per triginta annos vexaverant, hic celeberrimus chirurgus sanavit. Sententia Boyeri vix diversa est a monitis Petiti suprà dictis; ille enim methodum laudat, si varices, per longum tempus, invaluerint, si causa doloris sint et grande volumen habeant, et sanguine concreto repleantur. Apud illum duabus ligaturis membrum cingere oportet, unâ supra, altera infra partem, ubi vena incidenda est, posita; si varix telae subcutanae adhaereat, in loco adhaesionis puncturam facit, si contra vas omnino liberum sit, fixum redditur, prius-

quam chirurgus incisionem perficiat, ut vulnus venae, cutis vulneri accuratè respondeat; venâ sanguine et fluido et coacto vacuefacta, labia sibimet opponere necesse est, et fascia recte applicatâ, lenis compressio exercetur: paucis diebus praeteritis, vestes chirurgicas ab ulcere cautè removere oportet, quod plerumque se cicatrice obductum exhibet; inde aut fasciam arctiorem aut soccum astrictum admovere convenit.

Ligatura venae, supra dilatationes varicosas, Everard Home, nostris temporibus, primus varices sanandas proposuit; et saepe feliciter venam saphaenam internam, ubi genu transit, ligavit; volumen venae dilatatae rapidè imminutum est, et ulcera celeriter sanata fuerunt. Propter nova tentamina, quae infelix exitus secutus est, hic modus jure a chirurgis negligitur. Inflammatio enim internae membranae venae potius in suppuratione et in ulceratione, quam in adhaesione terminatur, et pus in systema absorptum symptomata febri typhoideae similia producit. Astley Cooper putat periculum longe ma-

jus esse, si vena saphaena interna, quam si arteria femoris ligatur.

Brodie alium incidendi venas modum nuper proposuit, qui in quâdam specie morbi multum valet. Olim, ut antea dictum est, caustico medicamento potentiali usus est; propter dolorem et tardam sanationem brevi hanc rationem neglexit; inde ramos varicosos scalpello divisit, et ita felix exitus celerius advenit et dolor magnopere imminutus fuit; denique divisionem integumentorum, quae aliquantulum tardiorem curationem reddidit, penè evitavit. In hanc finem cultello acie ornato usus est, cujus margo convexus acutus fuit, mucronem infra cutem trans ramos varicosos introduxit, margine acuto ad coelum directo, aegroti corpore erecto, inde acie convexa venis appositâ scalpellum retraxit et divisionem vasorum perfecit; fascia arcte, applicata, aeger se in cubile recepit; biduo aut triduo praeterito, cicatrix plerumque vulneri obducta fuit, suppuratio raro incessit. Duabus rebus Brodie persuasum est hujusmodi incisionem perficere; primùm haemorrhoides, per plu-

rima secula aut excisae aut ligatae fuerunt; secundo, rami venosi in pluribus vulneribus divisi sunt, et vix ulla exempla mortis ab his inductae, tradita sunt; quinetiam arcta cutis divisio, inflammationem minorem reddit, quia apud quosdam aëris contactum prohibet. Hic modus attamen non valet, si totum membrum morbo laborat; sin contrà vitium duos aut tres ramos solummodo afficit, maxime idoneus est; si unus varix supra et alius infra ulcus ponitur, inferioris divisio utilior est. In eodem die Brodie duos aut tres varices cruris ejusdem incidit, et nunquam funestus exitus tentamina secutus est.

Si varices omnes venas partis invadunt, fasciam aut soccum ex corio formatum adhibere oportet; hoc modo si morbus non sanetur, tumores varicosi prohibentur, et ulcera non obveniunt. Si cutis jamjam excoriatur, nigra lotura utilissima est; sin autem ulcera profunda sint, emplastrum adhaesivum melius est remedium. In omnibus rebus, nisi dolore et violenta inflammatione urgentibus, membrum a digitis pedis usque ad locum, ubi minima dilatatio venarum existit, linteo inducendum est.

FINIS.